

immediatis, proximisque causis ad eas, quæ à suis effectibus sunt remotissime. Qui progressus etiam
 in alijs generibus nonnullis causarum, ut in materia apparet: tamen in efficientibus maxime necessa-
 rius est, ut ea inuenta, & ablata, quæ cæteras primum mouet, reliquæ simul una cum morbis suis, &
 symptomatis auferantur: veluti in exemplo proposito, si ita contingat, ut appetentia minuatur, quo-
 niam sensus non afficitur, id autem fiat, quod corpus non vacuatur: Id vero accidit, quoniam calor
 non excitatur, cuius causa sit otium, hoc pariat carcer. Igitur si quis velit appetentiam homini restituere,
 imprimis curabit, ut is liber fiat, deinde se exerceat: nam ad exercitacionem sequitur vacuatio, hanc
 sequetur affectio sensus in ore ventriculi, hanc appetitus. Patet & ex hoc, quæ sit causa inappetentiæ:
 quoniam enim otium est, quod ponitur causa, constat nec ob sensus defectum, nec ob ea, quæ violentius
 digerunt humorem, nec ob facultatem, vel instrumentum aliquod, nec ob subiectum: sed quod de-
 sint, quæ sensum afficere sunt apta, appetentiam minui; atque ita per abnegationem aliarum causarum
 confirmabimus eam esse causam huius mali, quam ex certis indicijs agnosimus ponendam esse. Eo-
 dem pacto si quis doloris (quem antea definiuimus) voluptatisque causas querere velit, non ex opi-
 nione multorum authorum, quorum sententiæ tractationem reddunt obscuram, & confusam, sed ex
 ipsa rei natura petere cupiat: id ille hoc modo commodè faciet. Sumpto scilicet ex ipsius doloris defi-
 nitione principio. Nam si dolor est molestia, quæ ex trista actione, vel in illa potius oritur (præstat
 enim molestiam vocare utpote omnibus notam dictionem, quam passionem, cuius significationes
 vix à Philosophis intelliguntur) constat prorsus duas necessarias esse causas ad dolorem excitandum
 actionem scilicet vel (ut rem contrahamus ad dolorem corporis) sensum, & id quod sensum afficere
 potest. Etenim sensus solus doloris causa non est: quum sæpe sentiamus absque dolore, nec absque
 sensu quæ alterant, læduntque corpus nostrum, vim aliquam habent dolorem inferendi: quod docent,
 quæ ossa vulnerant, aut contundunt citrà dolorem. Quum verò ea, quæ apta nata sunt dolorem com-
 mittere, sensu percipiuntur, dolor nascitur, dum illa agunt & molestant: unde perceptio, aut cognitio le-
 sionis, doloris non est causa immediata: quum nec causa sit (cuius enim generis causa fuerit?) sed mo-
 dus est & generationis doloris. Nam (ut diximus) quum sensus percipit lædentia, oritur dolor: cau-
 sæ verò sunt, & dici debent tum sensus ipse, sine quo dolor fieri nequit, & id, quod sensum afficit. mo-
 di verò agendi actioque ipsa & actionis ratio à causis ipsis sciunguntur. Cæterum ut sensus fiat, ne-
 cesse est subiectum ipsum huiusmodi esse ut sentire possit: Nam hoc posito, frustra ponuntur aliæ co-
 ditiones, quod scilicet passibile esse debeat, calorique haud quaquam expers: siquidem quod sentire,
 illud quoque pati est aptum, & calorem aliquem habet: neque enim existimare oportet cartilagineas
 ossa, & ligamenta non dolere ob caloris defectum, quum id alia ratione illis contingat nempe quod
 sensu careant, alioqui nerui frigide partes, non minus fortasse quam cartilago, & ligamenta haudqua-
 quam dolerent. Ut autem possit pars sentire necesse est, ut neruos habeat, feraturque per illos à primo
 sensorio sentiendi facultas. Tertio ut ea, vis quæ sensationes apprehendit, & diiudicat nequaquam
 laboret. Quo fit, ut in resolutionibus membra corporis non sentiant, quod scilicet sint obstructi ner-
 ui: nec delirantes dolent, aut qui vulnerantur in acri certamine illi quidem quod mente laborent, nec
 apprehendant, aut diiudicent sensationes: hi verò quod distrahant à multis partibus natiuum calorem,
 omnemque sensum, dum animo, & motu potissimum victoriae incumbunt. Porro id, quod vim habet
 dolorem inferendi, duo habeat necesse est, ut scilicet magnas possit, & subitas facere mutationes. Nam
 quod huiusmodi est, si ex genere rerum sit, quæ dolorem parere possunt: Semper dolorem facit, siue
 ad naturalem statum malè affectam partem, siue ad eum, qui præter naturam est, beneuolentem ducatur.
 Sunt verò in vniuerso rerum genere quæ dolorem parere posse putantur, eo quod magnam, & subita-
 tam mutationem efficiant, alterantia & continuum soluentia dico autem alterantia soluentiaque con-
 tinuum non autem ipsam alterationem solutionemque dolorem facere, nimirum quum solutio ipsa
 non molestet nec sentiat, quod ostendunt vulnera iam facta sed illa quæ solvunt. At inter alteran-
 tia soli calori, & frigori huiusmodi ius concedatur: quippe quum siccum, & humidum credantur non
 posse subito quidpiam afficere, & interim magnas mutationes in re moliri. At à calore, & frigore do-
 lorem nasci nemo est, qui dubitet, docente id quotidiana experientia. Verum non perinde constat, an
 hæc id faciant alterando, an potius quod continuum soluant: mihi tamen probabilior videtur eorum
 opinio, qui alterantia eo quod continuum soluant, doloris causam esse putant: & si interim neminem
 video, aliqua ratione euidenti suam opinionem hæc in re probare, id quod nos efficere conabimur.
 Igitur quum caloris una sit natura, & agendi ratio, videamus autem ignem comburendo, & exulceran-
 do dolorem parere: mirum profecto nisi alijs calefacientibus eandem vim tribuerimus. Deinde si so-
 lus calor faceret dolorem non soluendo continuum, ubi uehemens esset calor, ut in febribus ardentibus
 quum in omni parte excalefacta & admodum sentiente dolor non esset? His autem qui continui solua-
 tionem immediatam causam ponunt, in promptu ratio est, quod non omnes quæ distendi possint
 ex humorum ebullitione: unde potissimum circa renes & in capite per febres dolores urgent: quoniam
 et si partes illæ minus calent, minusque forte sentiunt, quam quæ circa cor, & thoracem sunt posite, ta-
 men plurimus uapor, & humor in illis continetur, qui membranas, & uasa tendunt, ideo dolor in illis
 nequa-